

Qui in vobis non infirmatur. Quem non infirmum, sed potenter esse nec ipsi nescitis.

Sed potens est in vobis. Quanto magis in vobis carporibus sui.

Nam & si crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Quod crucifixus est, nostræ est infirmitatis: quod vivit, suæ virtutis.

Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Sive, qui nos quasi infirmos provocatis, invenietis nos vivere cum Christo in virtute Dei, cum in vos vindicare ceperimus. Sive nos in præfenti quidem infirmamur, sed in futuro cum illo, non in nostra, sed Dei virtute vivemus.

Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. Si in fide estis & in nobis vos cognoscite: date sententiam in peccante, & videte si non statim cum vestro verbo vindicta procedat.

An non cognoscitis vosmetipsos: quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis. Dei virtus, si tamen vos minime reprobavit.

Spero autem quod cognoscitis: quia nos non sumus reprobi. Spero vos sensuros quomodo nos converteremur.

Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati pareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis. Nos autem ut reprobi sumus. Si enim mali aliquid feceritis, nos vindicando parebimus probati: sed malivimus nos reprobos videri, tantum ut vos quod bonum est faciatis.

Non possumus enim aliquid adversus veritatem: sed pro veritate. Innocentiæ enim nostræ sententia obesse non poterit, nisi ei qui pro certo peccaverit.

Explicit Commentarius in secundam Epistolam ad Corinthios.

COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Caput I.

PAULUS. Apostolus non ab hominibus, neque per hominem. Sicut sacrarum scripturarum testatur autoritas: neminem venire ad patrem nisi per Filium & Spiritum sanctum. Item neminem venire ad filium, nisi quem vocaverit Pater & Spiritus sanctus: ita & hoc loco manifestè ostenditur Paulum Apostolum in Evangelii prædicationem, per Jesum Christum & Deum Patrem vocatum esse à sancto Spiritu: quemadmodum liber Apostolorum actuum docet, dicens: Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus ad quod assumpti eos. Item & infra in eodem loco: Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam. Quod autem hic Jesum Christum primo loco ponit, & ita deum patrem, & alibi indifferenter Deum Patrem anteponeat, frequenter etiam Spiritum sanctum: hoc ostendit, quoniam in Patre & Filio & Spiritu sancto, non ordo, non major aut minor, sed una est gloria, eademque substantia. Quod verò dicit, neque per hominem, sed per Jesum Christum: hic personam deitatis ostendit. Quod autem ait: qui suscitavit eum à mortuis: assumpti hominis significat incarnationem. Aliter: Non humana præsumptione, ut illi dicunt: neque per Apostolos alios, ut Aaron per Moysen: sed per ipsum Dominum, ut Moyses & omnes Apostoli vel Prophetæ: sed plerique ab hominibus ordinantur, cum indignè favore populi patientiam Domini contempnentem, divino sacerdotio contra meritum ordinantur.

Sed per Jesum Christum. Qui Petrum & ceteros Apostolos in ministerium apostolatus elegit.

Et Deum Patrem. Ostendit unam esse patris & filii operationem.

Qui suscitavit eum à mortuis. Secundum quod mori po-

Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Gaudemus si non sit necesse ut nostra virtus appareat, sicut Petri apparuit in Sapphira & Anania.

Hoc & oramus vestram consummationem. Ut vos perfecti sitis atque potentes.

Ideo enim hæc absens scribo, ut non præfens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi. Si non correxeritis vos, durius adhuc acturus sum quam scribendo denuncio.

In ædificationem. Ut & vos de cætero emendatis: & alii peccare formident.

Et non in destructionem. Ad quam sibi pseudoapostoli potestatem usurpant.

De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini. Notandum quod toti Ecclesie scribens, dicit eos omnes debere esse perfectos: & quod laicos jubet se invicem exhortari.

Id ipsum sapite. Pacem habete: & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. Alioquin author dissensionis & odii, contrarius erit vobis: & vos cum illo permanebitis in æternum: si ille hic vobiscum manserit semper.

Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Non honorati, aut divites.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus. Contra Arianos, qui ideo patrem majorem esse contendunt: quia plerumque primus nominatur in ordine.

Sit cum omnibus vobis. Amen. Non aliquantis: sive quod omnes in his donis velit esse perfectos.

tuit, secundum carnem scilicet.

Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesie Galatia. Ne solus indignè ferre putaretur, suam conculcari doctrinam, Apostolus objurgaturus Galatas propter conversationem suam, non tantum ex sua persona scribit ad eos, sed ex omnium fratrum, qui in consorcio secum erant: quos in Epistola ad Corinthios Apostolos vocat, dicens: Sive fratres nostri Apostoli, Ecclesiam glorie Christi.

Gratia vobis. Qua sola estis fide salvati.

Et pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo. Qua remissis delictis omnibus, reconciliati fuerant Deo.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. Ostendit beneficia Christi, quibus existerant ingrati, in lege quæ peccatoribus data est, vivere cupientibus, cum illis omnia essent peccata dimissa.

Ut eriperet nos de presenti sæculo nequam. Non quod sæculum nequam sit, sed quod mala sint quæ aguntur in sæculo: sicut & Dominus in Evangelio dicit: Sufficit diei malitia sua. Non quia dies mala sit, sed propter illa, quæ in ejus tempore aguntur, vel bona vel mala dicitur. Item mala sæculi opera dicuntur, quæ committuntur in ipso.

Secundum voluntatem Dei, & Patris nostri. Non secundum merita nostra.

Cui est gloria in sæcula seculorum. Amen. Infinitis beneficiis, infinita gloria debetur.

Miror quod sic tam cito transferemini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium: quod non est aliud. Manifestatis beneficiis, mirari se dicit quod ab illo potuerint separari.

Nisi sunt aliqui qui vos conturbant. Nam Evangelium verum aliud esse non potest, nisi Christi.

Et volunt convertere Evangelium Christi. Dum lex ad Evangelium profecerit: illi perverso ordine Evangelium ad legem provocare nituntur.

Sed licet nos, aut angelus de celo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis. Breviter omni voluit præjudicare personæ, quando nec Apostolus contra id quod primum prædicaverat, nec vocem de celo loquentis angeli permisit audire. Facit autem sententia contra omnes hæreticos, qui traditiones apostolicas mutare conantur.

Anathema sit. Hoc est, abominabilis vobis sit.

Sicut prædicimus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Repetitum fortius commendatur.

Modo enim hominibus suadeo, an Deo? Nunquid propter homines vobis suadeo, sicut propter Judæorum traditiones antè faciebam? Ostendere vult odia hominum se non timere, liberè defendere veritatem.

An quæro hominibus placere? Ubicumque sine additamento aliqui homines nominantur, in malam partem accipitur in scripturis. Ut est illud: Omnis homo mendax. Et: Quem dicunt homines esse? Et: Nonne homines estis? Et: Secundum hominem ambulatis. Igitur quicumque talibus placere voluerit: necesse est ut eorum faciat voluntatem, sancti autem Deo tantum, & Deum amantibus placent: qui plus quam homines esse meruerunt.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Nam ideo me oderunt: quia servus sum Christi.

Natum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me. Vult purgare usurpationis, & humane traditionis infamiam.

Quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Neque à me confixi, neque ab alio homine accepi, neque à quoquam didici, quod gentes sola fide salvarentur.

Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo. Nec vos credo latere quod dico. Ostendere vult quam firmiter tenuerit Judaismo: & quam fideliter pro traditionibus patrum expugnavit Ecclesiam: ut intelligamus eum non potuisse inde humano consilio, nisi revelatione separari divina.

Quoniam supra modum persequer bar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Judaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius emulatores existens patrum meorum traditionum. Non supra omnes ne jactabundus putaretur.

Cum autem placuisset ei qui me segregavit ex utero matris meæ. Hic præscientiam Dei, ad dilectionem Apostoli antequam nasceretur, ostendit. Item qui me in præsentia ab utero segregavit: quando voluit, fecit quod sciebat esse futurum.

Et vocavit per gratiam suam. Non meritis meis.

Ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus. Ut filium suum per me gentibus revelaret.

Continuo non acquievi carni & sanguini. Hoc dicit: quoniam secundum mysterium revelationis, commissam sibi prædicationem Evangelii exercuerit, neque tunc carnis, & sanguinis vocem audivi, sed Dei.

Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum. Non quod mihi necesse fuit, ut ab illis aliquid docerem: sed de Damasco in Arabiam protinus ibam, ut docerem quod mihi à Deo revelatum fuerat.

Deinde post annos tres. Ostendit se non indignis doceri, qui tribus jam annis aliis prædicarat.

Veni Jerosolymam. Quando se discipulis jungere attentabat.

Videte Petrum. Et susceperunt se ab illo in charitate demonstrat: & in tam brevi tempore nihil dicere potuisset.

Et mansi apud eum diebus quindecim. Videndi gratia non discendi.

Alium autem Apostolorum vidi neminem. Ne vel ab illis didicisset videretur.

Nisi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo: quia non mentior. Quatuor modis fratres appellari, quis dubitat? Primo, naturæ: secundo, cognatione: tertio, gente: quarto, affectu. Unde Jacobus secundum cognationem frater Domini dicitur: quoniam de Maria Cleopha, sorore matris Domini, natus esse monstratur.

Deinde veni in partes Syria & Cilicia. Eram autem ignotus facie Ecclesie Judææ. Notandum quia per triennium

Ecclesie Judææ erat ignotus.

Quæ erant in Christo. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequeretur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat. Scorsum qui ex Judæis erant, Ecclesie habebantur: nec his qui erant ex gentibus, miscebantur.

Et in me clarificabant Deum. De re difficili, maxima nascitur admiratio: & laudabatur Deus qui hoc solus posset efficere. De falsis fratribus, & de Petro in circumfisione: Paulo verò in gentibus ordinatis.

Caput I I.

DEINDE post annos quatuordecim. Quando de oneribus legis quaestio movebatur.

Iterum ascendit Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Non voluntate mea, sed imperii divini necessitate.

Ascendit autem secundum revelationem. Hoc ait Apostolus: Cum venirem, inquit, Jerosolymam, secundum revelationem Dei: congregationi fratrum per ædificationem meam reddidi rationem, scorsum & Apostolis: non ut ab illis aliquo instruerer, quippe qui plenam fueram gratiam consecutus: sed ut manifestarem eis recto ordine, me Christi Evangelium prædicare.

Et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus. Non didici, sed contuli Evangelium, per quod gentes sola fide salvantur.

Scorsum autem his qui videbantur aliquid esse. Ne illos discipuli de Evangelio dubitare putarent.

Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Hoc non est dubitantis, sed potius confirmantis.

Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi. In vacuum cucurrit.

Sed propter subintroductos falsos fratres. Reddit causas cur circumcidit Titum: non quia illi circumcisio prodesse, sed ut scandalum imminens vitaretur.

Qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu: ut nos in servitutem redigerent. Qua absoluti sumus à jugo legis.

Quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. Ut periculum vitaremus: & essent in nobis qui veritatem Evangelii confirmarent.

Ab his autem qui videbantur esse aliquid. Hic eos significat, qui Galatas Judaizare compulerant: qui aliquando insignes inter discipulos Apostolorum fuerant: qui quæ præfenti tempore à fide Christiana, ad observationem Judaicam convertebant.

Quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit. Non mihi cura est, quia cum Domino ambulaverunt: quia nec tempus præjudicat fidei, nec persona labori.

Mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt: sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii. Ut prædicem in gentibus, sicut illi Judæis.

Sicut & Petro circumfisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumfisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi. In nullo sum illo inferior: quia ab uno Deo sumus in ministerio ordinati.

Jacobus, & Cephas & Joannes, qui videbantur columna esse. Super quas erat Ecclesia confirmata.

Dexteras dederunt. Ita nos docere debere.

Mihi & Barnabæ, societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumfisionem. Ambo enim missi erant simul, ut gentibus prædicarent.

Tantum ut pauperum memores essemus. Qui omnia sua distribuentes, ad Apostolorum pedes pretia deponerent: Vel quorum bona fuerant à Judæis invala: sicut legimus ad Hebræos.

Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Hoc est, quod in omni penè scribit Epistola.

Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. Galatarum infirmitas compellit eum narrare: quod nec ipsi Apostolorum principi Petro pepercerit, veritatem Evangelii non liberè defendenti: sicut etiam ad profectum Corinthiorum manifestat, visionem quam annis quatuordecim celaverat. Hoc autem totum ait, ut ostendat

se nunquam circumfisionis fuisse factorem, quod de illo falsi Apostoli confingebant. Unde & alibi dicit: Ego autem fratres, si circumfisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?

Prius enim quam venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat. Sciens sibi ostensum, ut nullius generis hominem vocaret immundum.

Cum autem venissent, subtrahere & segregare se, timens eos qui ex circumfisione erant: & simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi. Non ideo reprehensibilis erat, quia cum illis edebat: sed quia postea propter homines se subtraherebat.

Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Qui mecum ad gentes missus, nihil inter eos docuerat esse discriminis.

Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii. Quamvis hoc propter scandalum faceret Judæorum: tamen publice illum conveni, ut & Judæis superbia, & gentibus desperatio tolleretur.

Dixi, Cephe coram omnibus. Publicum scandalum non poterat private curari.

Si tu cum Judæis sis. Si tu non tenes quod natus es: quomodo illos facis tenere quod nati non sunt? Rationem reddit, non injuriam facit.

Gentiliter vivis, & non Judæicè. Non ex operibus legis, sed sola fide sicut gentes, vitam in Christo invenisse te nosti.

Quomodo gentes cogis Judæizare? Cur subtrahis te, tanquam à peccatoribus?

Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores. Peccatores tamen eramus: quia conclusit scriptura omnia sub peccato.

Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Opera legis, circumficio & sabbatum, dies festi, & cætera, quæ non propter justitiam, sed ad edomandam populi duritiam sunt mandata.

Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores: nunquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim gentes fides sola non salvat, nec nos: quia ex operibus nemo justificatur. Ergo adhuc peccatores sumus, & Christus peccatorum minister est, tanquam non valens peccata indulgere.

Si enim quæ destruxi iterum hæc reedifico, prævaricatorem me constituo. Si destruxi Judæos, & nunc (ut illi dicunt) ipsos reedifico, meæ sententiæ prævaricator invenior.

Ego enim per legem legi mortuus sum. Hoc est quod dicit: per legem Christi, legi Moyfi mortuus sum: aut certe per ipsam Moyfi legem, legis ejusdem sum observationibus liberatus: quoniam scriptum est in eadem lege: Quia Abraham ex fide justificatus est, & non ex operibus legis. Item per legem Christi, legi literæ: & Moyfi legi veteri sum mortuus: quia ipsa se cessaturam esse prædixit.

Ut Deo vivam. Quia legem suam innovavit.

Christo crucifixus sum cruci. Omnibus peccatis quibus lex est data, sum mortuus: ergo lex minimè est necessaria.

Vivo autem non ego. Vetus homo.

Vivit verò in me Christus. In illo vivit Christus, in quo Christus vegetat actus & vitam.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. In sola fide: quia nihil debeo legi antiquæ.

Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Non pecuniam, non aliquid aliud pretium, sed se.

Non abjicio gratiam Dei. Non debeo illi esse ingratus: qui me tantum dilexit, ut pro me etiam moretetur. Abjecta enim est gratia, si mihi sola non sufficit.

Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est. Si lex poterat justificare, superflue mortuus est Christus.

Caput III.

Insuper Galata. Non est contrarium Salvatoris verbo, quo fratrem fatuum vocari prohibuit: non enim hic dicitur sine causa.

Quis vos fascinavit: Per vulgi verbum, invidiam significavit: sicut ait Salomon: Fascinatio nugacitatis obcurat bona.

Non obedire veritati? Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est. Quibus per meam prædicationem ita manifestata est passio ejus, ut ipsum ante vos pendere putaretis. Proscriptus est, sententiam damnationis accepit.

Et in vobis crucifixus. Quasi apud vos omnia facta sint. Sive sic, quem verè pro damnato, & mortuo etiam nunc vilem habetis, dum putatis eum vobis non sufficere ad salutem.

Hoc solum à vobis volo discere. Hoc unum vos interrogo.

Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Si ex merito fidei spiritum accepistis, quid nobis lex amplius poterit dare?

Sic stulti estis: ut cum spiritu caperitis, nunc carne committamini? Cum nec Judæi aliter spiritum accipiant, quam per fidem Christi, vos è contrariò putatis vobis spiritum non sufficere sine lege.

Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. Ostendit quia in Galatia constituti, pro Christi fide passi sunt persecutionem. Item tanta sine causa pro Christo tolerastis, si non iterum pro Christo corrigatis. Sive quod hic, si tamen, non dubitantis sermo sit, sed potius confirmantis: secundum illud: si tamen justum est apud Deum, retribuere, qui nos tribulant tribulationem.

Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei: sicut scriptum est. Spiritum sanctum sola fide accepistis: qui non nisi à justis accipitur: justos autem sine legis oneribus esse vos constat.

Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Ita & vobis ad justitiam sola sufficit fides.

Cognoscite ergo: quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abraham. Sive Judæi, sive Græci, non carnaliter circumcisi.

Providens autem scriptura: quia ex fide justificat gentes Deus, prænuñciavit Abraham: quia benedicentur in te omnes gentes. Non una gens Judaica: sed omnes quæ ex operibus legis sunt.

Igitur qui ex fide sunt: benedicentur cum fidei Abraham. Non enim circumcisi sunt gentes, ut possint ex operibus benedici.

Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicta sunt. Scriptum est enim. Quia ita prævaluit consuetudo peccandi, ut nemo jam perficiat legem.

Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. Hoc est, qui non omnia usque ad fidem legis mandata servaverit. Quæritur sanè hoc loco, si fides sola sufficiat Christiano: & utrum non sit maledictus, qui evangelica præcepta contemnerit. Sed fides ad hoc proficit: ut in primitiis credulitatis accedentes ad Deum justificet: si deinceps in justificatione permaneant: cæterum sine operibus fidei, non legis, mortua est fides. Qui enim non credit mandatis, & eos qui Evangelii præcepta contemnunt, maledictos esse, & Salvator edocuit, dicens: Dedicite à me maledicti in ignem æternum. Et Jacobus Apostolus, unius mandati transgressorem, omnium rerum esse demonstravit.

Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est. Quia nemo illum servat: ideo dictum est, quod sola fide justificandi essent credentes. Item vult ostendere: quia ex operibus legis Moyfi, justificari homo non possit, nisi habuerit & fidem: quæ veniam dat credenti in Deo. Non enim qui credunt in Christo, sine lege vivere possunt.

Quia justus ex fide vivit. Perfecta fides est: non solum Christum, sed & Christo credere.

Lex autem non est ex fide. Non justificat sola fides.

Sed qui fecerit ea, vivet in illis. Suo labore conquirit justitiam, & vivet in æternum.

Christus nos redemit de maledictio legis, factus pro nobis maledictum. Qui sub maledictio non erat: quia per omnia legem implevit. Et ideo indebito maledictio ejus, nostrum debitum compensatum est, ut liberet transeuntes ad fidem.

Quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Sic est scriptum: Si cui fuerit iudicium mortis, suspendetis eum in ligno. Non ideo maledictus, quia pendet: sed ideo

ideo pendet, quia maledictus. Christus ergo cui non erat iudicium mortis: nec causa subeunde crucis, & maledicti reatus, pro nobis maledictum suscepit: quia omnes maledicti eramus, & debiti ligno: & ideo maledicti: quia non permanimus in omnibus quæ scripta erant in lege.

Ut in gentibus benedictio Abraham foret in Christo Jesu. Ut sola fide, gentes benedicerentur in Christo, sicut promissum fuerat Abraham.

Ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Quæ per Joëlem Prophetam omni carni promissa est: id est, universo generi hominum.

Fratres, secundum hominem dico: tamen hominis confirmationem testamentum. Humano utor exemplo: comparari enim humana divinis, propter evidentiorum intellectum possunt: æquari non possunt.

Nemo spernit, aut superordinat. Abraham dicte sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, & semini tuo qui est Christus. Quia post tantum temporis data est lex.

Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo. In Christo Jesu.

Quæ post quadringentos & triginta annos, facta est lex: non irritum facit ad evacuandam promissionem. Ne quis putet esse contrarium: quoniam in libro Geneseos ad Abraham à Deo dicitur: Scito prænocens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subjicient eos servituti: & affligent quadringentos annos & hic Apostolus triginta annos amplius ponat. Quod autem dicit: hoc est, septuagesimo quinto ætatis suæ anno, Abraham accepit à Deo repromissionem: à quo tempore usque ad initium legis Moisaicæ, quadringenti & triginta anni, hac ratione complentur: Ex tempore repromissionis usque ad centesimum annum Abraham: quando Isaac filius ei natus fuit, viginti quinque anni numerantur. Postea quinto ætatis anno, Isaac parvulus ab Ismaele cepit affligi: sicut idem Apostolus in hac ipsa Epistola scribit. Evidenter ergo monstratur, secundum sermonem Dei ad Abraham factum, post centum triginta annos repromissionis, semen ejus persecutionibus laborare cepisse.

Nam si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abraham autem per repromissionem donavit Deus. Non per legem, quæ necdum erat.

Quid igitur lex? Quare ergo data est lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat. Propterea data est, ut nos non transgredi, vel cogere, vel doceret, usque dum Christus veniret.

Ordinata per angelos. Hoc loco Mosen, Dei & Hebræorum mediatores significat legem per angelum Domini accepisse: sicut in libro Actuum Apostolorum Stephanus dicit: Hic est Moses, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Item legitimus angelos per legem sepe populo affuisse.

In manu mediatoris, sive Moyfi (ut quidam putant) sive Christi. Nam & Moses, aiunt, inter Deum & populum mediator fuit.

Mediator autem unus non est. Id est, unius partis.

Deus autem unus est. Hoc ideo addidit, ne quis putaret Christum ab unitate divinæ naturæ penitus esse divium: quia mediatoris suscepisset officium.

Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Sicut ad Romanos ait: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur, scilicet, quæ à nemine servabatur.

Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: ut promissa ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Adveniente Christo, qui sub lege Mose erant, conclusi sunt peccato, si ultra in legis observatione permanere voluerint. Quia maledicti qui umbræ legis deserierunt, veritate præsentis. Item ostendit, quoniam non potuit inveniri, qui daretur credentibus: ut necesse esset sola fide salvari credentes.

Prius autem quam veniret fides. Priusquam veniret, cui crederemus.

Sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Servabamur à lege huius fidei, quæ erat suo tempore revelanda.

Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. Ad disciplinam nos arctius retentans: perfectam doctrinam vero magistro servabat.

Tom. V.

At ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo. Perfectæ ætatis discipuli, non indigent pedagogo.

Omnes enim Filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Equaliter & Judæi & gentes per solam fidem filii Dei estis, quæ credidistis Christo.

Quicumque enim in Christo Jesu baptizati estis, Christum induistis. Filium Dei induiti, & toti membra ejus effecti, filii Dei stitis, necesse est: ut quid ergo vobis lex, quæ servis & peccatoribus data est, quibus per baptismum peccata remissa sunt.

Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Ante enim non solum inter Judæum & Græcum, sed etiam inter tribum & tribum erat magna diversitas.

Si autem vos Christi, ergo semen Abraham estis, secundum promissionem heredes. Si omnes unum corpus estis Christi, Abraham semen estis, & veri hæredes: non ex carnali femine, sed ex divina promissione generati.

Caput IV.

DICO autem: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo: cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & auctoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre. Quia dominatum quondam sacerdotes & principes exercebant: quos tutores & actores appellat. Modo autem non dominari, sed formam præbere jubentur: quia sacerdotale genus sumus, & omnia communiter habemus: quamvis per illos percipiamus sacramenta.

Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. Dierum videlicet & temporum, quæ fuerant eorum infirmitati necessaria, pro temporis qualitate.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Impletum jam erat tempus, quando legem per malam consuetudinem nemo poterat custodire.

Factum ex muliere. Dicens, factum ex muliere: sexum significat, non corruptionem. Cæterum ut manifestè ostenderet natum ex virgine: ait, ex muliere: non per mulierem. In eo autem quod dicit, ex muliere, monstrat non more solito ex conventu viri & femine, sed per Spiritum sanctum, ex matre tantum Christum incarnationem hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Corinthios scribens ait: Sicut mulier ex viro, ita & vit per mulierem. Unde sicut in principio generationis, mulier ex viro sumpta est: ita & Christus secundum carnem, ex matre tantum est. Omnis autem restituta humana generatio, non est ex muliere, secundum Apostoli dictum, sed per mulierem; ut clareat generatio hominum ex viro per mulierem creati.

Factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret. Christus sub lege factus est: ut peccatum in carne vincens, credentes in se à legis vinculis liberaret. Ipse autem sub lege tandiu fuit, donec baptizatus, novi testamenti inciperet Evangelium prædicare. Item si sub lege factus non esset, Judæos salvare non poterat: gentes vero poterat positus sub lege redimere.

Ut adoptionem filiorum reciperemus. Non enim omnes recepissemus adoptionem, si factus sub lege non esset.

Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, abba pater. Ex hoc nos probat filios esse Dei, quoniam spiritum Christi accepimus.

Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius & hæres per Deum. Quid vis iterum servus esse, qui jam filius & hæres es? Item hic manifestè ostendit: quia totus populus, unus filius vocatur.

Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, serviebatis. Convertit se ad illos, qui ex gentibus crediderant: & arguit illos, quia dies festos, & tempora Judæorum observare vellent, sicut antea idolis fecerant. Nam Judæi isti dies idcirco concessi sunt, ne eos amore festivitatis, idolis exhiberent.

Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti stis à Deo. Antè ignorabimini ab illo, quia non novit iniquos: & non vos illum quæstistis, sed ille vos perditos requirit.

Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denno servire vultis? Evidenter ostendit Apostolus

V u u